



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 74. Proposita cum Nicolao Harnois conciliato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

**Sæcul. XVI.** bus præfati Pontifices societatis novæ  
A.C 1554. Patres honorabant, *ut tamen prudentius,*  
maturius, & exactius examinarentur, & ne  
quid in re tam gravi, tantique momenti præ-  
cipitanter ageretur, remissi sunt proxima  
Congregatione ad determinandum, & inter-  
rim moniti sunt omnes & singuli Magistri,  
ut rem tantam apud se sedulo meditarentur,  
& summo adhibito consilio, & diligentia  
tractarent.

### § .LXXIV.

#### *Proposita cum Nicolao Harnois conciliatio.*

**A**ltera 'caussa, circa quam fuit delibe-  
ratum, erat compositio litis inchoa-  
tæ cum Nicolao Harnois, de quo jam  
anno priori mentio fuit facta; hanc er-  
go in rem conclusum, quod præfatus  
Religiosus ad jusjurandum Facultati  
præstandum admittatur, necnon post  
acceptam lauream Doctoris juribus frua-  
tur, ea tamen lege, ut testimonium  
afferat a sex Ordinis sui Viris subscrip-  
tum, vi cuius testatum fiat, quod præ-  
dicasset iis verbis, quibus nuper per di-  
ctæ facultatis sententiam die duodeci-  
ma Octobris Anno millesimo quingen-  
tesimo quinquagesimo tertio pronuntia-  
tam prædicare fuerat jussus, & sub qua  
conditione ad Doctoratum est receptus:  
*Si vero id non fecerit, aut eum hoc non fe-  
cisse*

cisse constabit, tunc *Orator* *talem*, ac *iisdem* **Sæcul. XVI.**  
*verbis conceptum, quibus ei per eundem sen-* **A. C. 1554.**  
*tentiam injungetur, sermonem habebit.* Hæc  
 sunt ipsa Facultatis verba in ejus sen-  
 tentia prolata. Insuper ab eo exige-  
 batur, ut se se submitteret Facultati in  
 omnibus, quæ fidem, moresque concer-  
 nunt: cum autem id præstare renue-  
 ret, illum nullatenus ad Facultatis con-  
 fortium esse admittendum decerne-  
 batur.

Die quinta Octobris Nicolaus de Bris  
 quasdam propositiones impias, & blas-  
 phemas circa SS. Eucharistiam, & cru-  
 cifixi imaginem ad Facultatem defere-  
 bat, eæque ad tres reductæ erant, atque in  
 illarum prima dicebatur: „Christus Do-  
 „minus est in cœlo: non autem est in il-  
 „la re, quæ hostia appellatur, nec un-  
 „quam erit in mundo, donec venturus  
 „est judicare vivos, & mortuos.” Altera  
 ita sonabat: „Si ea, quæ Ecclesia  
 „de Altaris Sacramento credidit, vera  
 „sint, tunc S. Augustinus omnium hære-  
 „ticorum maximus est.” Tertia conti-  
 nebat horrendam Blasphemiam contra  
 imaginem Christi crucifixi. Itaque Fa-  
 cultas harum primam tanquam hære-  
 ticam, & Sacramentariorum erroribus  
 consonam: alteram autem velut falsam,  
 ac D. Augustino injuriosam damnabat.  
 Tertiam denique dicebat execrandam,

ac

**Sæcul. XVI.** ac relatu, & auditu indignam. Prædicta  
A.C. 1554. batur hæc propositio Parisiis in templo  
 S. Severini Anno Domini millesimo  
 quingentesimo quinquagesimo secundo.

Rursus die vigesima septima ejusdem Mensis Octobris Facultati referebatur, quod nonnulli libelli precursorii, seu preces horariæ Gallico idiomate ad usum Romanum editæ & per Oudinum Petit in via S. Jacobi ad insigne lilii floris typis impressæ vulgentur. Hæ preces censura notabantur, eoquod de sermonе latīno, inquit Facultas, in gallicum non fideliter translatæ derogent titulis honorum, ac dignitati sacratissimæ Virginis Mariæ: derogent & illius, & aliorum Sanctorum, sanctarumque meritis, prærogativis, nec non potestati adjuvandi mortales in adversitatibus.

Pariter proscribebantur duo alia opuscula, quorum unum: *Christianorum doctrina*: aliud vero: *Præcepta Dei*: inscriebatur, continebantque ambo Lutheri doctrinam, quocirca, quod tam preces horariæ, quam prædicta opuscula prohiberi, atque omnino suppressi debeant juxta hanc censuram, auditis omnium Magistrorum suffragiis nihil inter se discrepantibus, Facultas conclusit.

§.LXXV.